

illum ita paratum, ut infallibiliter detur, quantum est ex parte Dei; ergo e contrario, si Deus non est ita paratus, nec nostra voluntas est moraliter potens, nec illi potest imputari quod careat concursu, et consequenter neque quod careat operatione; ergo, simpliciter et humano modo loquendo, non potest, quia sola potentia physica, quæ in illa manet, parum profecto refert ad liberam potestatem cui carentia actionis imputetur. Confirmatur, quia impossibile est me habere in potestate mea effectum, nisi habeam actu vel in mea potestate quiddam necessarium est ut effectus fiat; quia si non habeam in mea potestate omnia necessaria, poterit effectus non sequi, ex defectu prioris auxilii, vel concursus necessarii, magis quam ex defectu meo. Nam si decretum Dei est necessarium, et non ponitur, nec ego possum facere ut ponatur, cur potius meo defectui imputatur quod non sequatur talis effectus, quam defectui divini decreti? Plane non video. Quod autem Deus non sit paratus ad concurrendum, si necessarium est decretum illud, probatur multipliciter. Primo, quia Deus non est paratus, nisi per aliquam determinationem liberam voluntatis suæ sufficientem ad effectum externum, quantum est ex parte Dei; tunc autem Deus non habuit talem determinationem, ut supponitur, nec deo potest illam inchoare, ut est certum; ergo. Secundo, eo ipso quod Deus non habuit illud decretum, habuit positivum decretum non concurrendi tunc ad talem consensum, vel concurrendi ad aliquem contrarium, quia Dei voluntas in suis decretis liberis non manet suspensa, sed inter opposita aliquid statuit; ergo repugnat Deum paratum esse ad concurrendum, facta hypothese quod non decreverit concurrere. Quis enim dicat Deum esse paratum ad dandum vel faciendum quod ex se absoluto decreto statuit non dare, vel facere? Tertio, carentia talis concursus non potest moraliter imputari; ergo signum est non esse in potestate, nec Deum paratum esse ad dandum illum. Antecedens patet; constituamus enim hominem sufficienter vocatum, prius natura quam voluntas ejus ad consensum vel dissentium determinetur, et quod Deus non decreverit dare talem concursum, sed alium, quid, quæso, faciet homo, ut talem concursum recipiat? Nihil certe responderi aut cogitari potest, quod ad rem pertineat.

9. *Eadem est ratio de concursu simultaneo, ac de prævia prædeterminatione inhærente homini.* — Et hic applicari possunt omnia quæ

in simili discursu diximus, de prævia determinatione inhærente homini. Nam revera eadem est ratio de extrinseco decreto Dei, seu de concursu simultaneo, si ab illo decreto necessario pendet, quia quod tale decretum nobis non inhæreat, sicut prædeterminatio in actu primo, parum refert si necessitas est eadem et antecedens omnino ad nostram libertatem, ita ut ab illa non pendeat poni vel non poni tale decretum, ut revera pendere non potest, si illud est antecedenter necessarium, et pro solo Dei arbitrio datur, vel negatur. Quia quando Deus non habet tale decretum, non est ex præscientia alicujus liberi usus arbitrii, sed ante omnem præscientiam, ut illi auctores consequenter dicunt; nec est propter aliquam dispositionem arbitrii positivam, vel negativam, quia utraque supponit decretum concurrendi, vel non concurrendi Dei, ut facile patet ex supra dictis. Et hoc optime declarat et confirmat ratio supra tacta de concursu, quia si concursus datur per decretum absolutum determinatum ad unum actum, nunquam voluntas est indifferens proxime ad plures actus, et proinde se habet ad alios omnes, extra illum ad quem decrevit Deus concurrere, ac se haberet ad omnes, si Deus decrevisset ad nullum concurrere; tum autem nullum posset operari, nec libere aliquem ommitteret, sed omnibus ex necessitate careret; ergo et nunc necessitate caret illis, ad quos Deus suo solo arbitrio decrevit non concurrere: ergo, in particulari loquendo de actu gratiæ, qui caret concursu ad illum, et habet determinatum concursum ad aliquem alium solum, non libere, nec cum potestate morali actus gratiæ omittit: ergo cum necessitate talis decreti non potest salvari potestas moralis, et libertas consentiendi in his qui carent necessario concursu.

10. Nec est simile de auxilio simultaneo, ut solet nobis objici, si ponamus illud non pendere necessario ac essentialiter ex illo decreto absoluto, sed ex alio involvente conditionem, quale nos explicuimus. Nam si concursus dari potest ex vi decreti conditionati, optime intelligimus, quamvis homo sufficienter vocatus non recipiat actu simultaneum concursum, nihilominus Deum de se paratum esse ad illum dandum, et habere circa talem hominem simile decretum, quia, stante tali decreto, stat non habere in re effectum, quia non est omnino absolutum, et Deus ipse ita temperavit illud, ut cooperante alio ageret ad extra, non vero cooperante non ageret. Est enim

Deus maxime dominus suæ potestatis quoad usum, et suæ actionis ad extra, et ideo potest uno vel alio modo illam velle, juxta consilium voluntatis suæ. Et inde facile etiam intelligitur habere hominem sic vocatum in sua proxima potestate consensum, quia in genere causæ proximæ per vires gratiæ in se receptas, cum potentia obedientiali suæ voluntatis, potest illum consensum elicere, et per amicum, id est, per Deum, habet paratum concursum gratiæ, et ita habet illum in potestate sua, ut jam, posita suppositione ex parte Dei, ex suo arbitrio et concomitante influxu pendeat habere vel non habere ad extra talem concursum. Est ergo longe diversa ratio de auxilio etiam simultaneo, pendente vel non pendente a tali decreto, et ideo dicimus tale decretum non esse necessarium.

11. *Difficultas.* — *Solvitur.* — Unde consequenter sequitur nec prædeterminationem physicam per immediatum influxum Dei in actum consensus posse esse necessariam. Ac proinde cessat distinctio supra nobis objecta. Nam sive illa sit possibilis, sive non (de quo statim), negamus esse necessarium ad liberum consensum supernaturalem auxilium simultaneum habens respectum ad tale decretum, quia ipsum decretum necessarium non est et sine illo potest dari simultaneus concursus, seu auxilium in actione ipsa voluntatis imbibitum. Sicut autem dari potest, ita verisimilius est de facto dari, vel semper, vel frequentius, quia ille est modus magis accommodatus libero arbitrio, et nulla est ratio fingendi semper alium modum determinationis, si aliunde ex re ipsa, et ex dependentia vel subordinatione causæ secundæ ad primam, vel ex peculiari conditione actu gratiæ id non ostenditur. Occurrebat autem hic difficultas, quia sequitur aliquid fieri in rerum natura sine voluntate Dei, saltem efficaci, et absoluta ipsius effectus, utique actus liberi. Facile vero respondetur negando sequelam, quia quod fit volente Deo ad id concurrere, non fit sine voluntate Dei, sive det concursum per antecedens decretum absolutum, sive per concomitans ex parte objecti, ut in libro tertio explicavi. Nam D. Augustinus, locis citatis, prius absolute dixit nihil fieri nisi quod vult Deus, et postea addidit: *Vel volendo, vel sinendo ut fiat.*

12. Unde ad secundam partem duplex distinctio est adhibenda. Una est de malis actibus, vel bonis. Nam de malis concedimus, et omnino affirmamus fieri sine beneplacito Dei,

et ipso non volente absolute et efficaciter ut actus fiat, sive prius ratione quam illum futurum esse præsciat, sive etiam postquam illum futurum esse prænovit, quia sibi nullo modo placet, nec illum simpliciter vult, sed vellet potius non fieri, licet noluerit illum impedire, nec concursum ad illum negare, et postea illum ad pœnam vel ad aliquod bonum ordinet. In bonis autem actibus, et præsertim supernaturalibus, triplex voluntas Dei distinguenda est, utique, intentionis, executionis, et complacentiæ; prima antecedit effectum actus, et non est proximum principium physicum ejus; secunda comitatur actum, modo supra explicato in libro tertio; tertia subsequitur actum jam prævisum absoluta scientia visionis, de qua dictum est: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* Dico ergo actum bonum et gratiæ fieri posse sine prævia Dei voluntate absoluta exequente, quia sufficit voluntas concomitans, virtute conditionem includens. Nunquam vero fit sine voluntate beneplaciti Dei consequente, et probabile est, maxime quoad actus gratiæ, non fieri sine decreto absoluto divinæ voluntatis per modum intentionis antecedentis, quæ ad ordinem prædestinationis, non executionis pertinet. Sed de hoc decreto, quomodo a voluntate exequente differat, et cur minus repugnet arbitrii humani libertati, sæpe jam dictum est, et infra magis declarabitur.

CAPUT XX.

UTRUM AUXILIUM EFFICAX PRÆDETERMINANS PHYSICÆ VOLUNTATEM, INFLUENDO IMMEDIATE IN ACTUM EJUS LIBERUM, POSSIBILE SIT.

1. *Theologi quidam moderni, quid in hoc puncto doceant.* — In superiori capite vidimus necessitatem hujus auxilii repugnare libertati quoad specificationem, circa supernaturales actus, id est, non relinquere potestatem moralem faciendi illos, in his quibus tale auxilium denegetur; nunc videndum est an tale auxilium datum repugnet libertati quoad exercitium, et ideo possibile non sit, saltem salva actus libertate. Aliqui enim moderni Theologi, qui nobiscum sentiunt in his quæ hactenus contra physicam prædeterminationem auxilii efficaci diximus, in hoc puncto docent, hoc genus physicæ prædeterminationis non repugnare cum libertate actus, ideoque non solum esse possibile, sed sæpe etiam dari, præsertim ad

quasdam miraculosas et efficacissimas conversiones, ut Pauli, Matthæi, Magdalenæ, et similia, vel ad actus qui ex quadam singulari gratia et privilegio conceduntur, ut fuerunt fortasse omnes actus Beatissimæ Virginis in via, præsertim vero ille qui Angelicæ annuntiationi assensum præbuit. Et hanc existimo fuisse opinionem F. Joannis Vincent., quantum ex his, quæ et Ledesma refert, et ab aliis audivi, conjectare possum. Nam, ut supra dixi, ejus scripta videre non potui. Eamdẽ sententiam P. Lorca ex professo docuit, novus quidem scriptor, non indoctus, et constanter affirmat esse doctrinam D. Thomæ et Scoti, imo et sancti Augustini. Sed de auctoribus infra dicam; nunc ratione tantum, vel philosophica, vel theologica ex principiis fidei agendum est.

2. *Quodnam sit fundamentum hujus sententiz.* — Fundamentum hujus sententiæ videtur esse, quia licet, ut homo supernaturalem consensum præbeat, necessarium non sit ut Deus, ex voluntate efficaci et omnino absoluta, illum moveat auxilio illo simultaneo, non tamen videtur dicendum Deum id facere non posse. Primo, quia multum derogat omnipotentia Dei, nam, ut D. Thomas, 1 part., quæst. 19, articulo 8, et 1. 2, quæst. 10, artic. 4, et sæpe alias docet, divinæ potentia non tantum subsequitur actus voluntatis, sed etiam modus ejus, utique quod libere fiat; ergo potest Deus, de absoluta sua potentia, efficaciter velle, et exequendo facere ut voluntas humana consentiat. Unde Augustinus, in Enchirid., cap. 93: *Tunc (inquit) in clarissima luce sapientiæ videbitur, quod nunc piorum fides habet, antequam manifesta cognitione videatur, quam certa, et immutabilis, et efficacissima sit voluntas Dei, quam multa possit et non velit, nihil autem velit quod non possit, quamque sit verum quod in psalmo canitur: Deus autem noster in cælo et in terra omnia quæcumque voluit fecit; quod utique non est verum, si aliqua voluit, et non fecit, et quod est indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impedivit.* Non est autem minus indignum de Deo sentire non posse velle efficaciter aliquid fieri a voluntate hominis, ne forte hominis voluntas impediat ne Dei voluntas impleatur. Unde cap. 103 ait: *Rogandus est Deus ut velit; nam si velit, necesse est fieri quod voluerit*, utique et modo etiam quo voluerit; ergo potest Deus habere illud decretum, et per illud determinare efficaciter voluntatem hominis, ut velit, et libere

velit, sicut eam Deus velle voluit; illa autem prædeterminatio non fit nisi per auxilium simultaneum, ut manans ab illo decreto, quia supponimus Deum aliud prævium non influere.

3. Secundo argumentor, quia Deus potest prædefinire absoluto decreto actum liberum hominis ante absolutam præscientiam ejus, ut nunc supponimus; ergo etiam potest illam suam voluntatem exequi per similem voluntatem efficacem executivam. Probatur consequentia, quia alias executio non esset æque efficax ac infallibilis, ac ipsa intentio. Dices ex parte executionis sufficere voluntatem concomitantem cum præscientia conditionata, quod ex parte voluntatis humanæ non deerit coefficientia et influxus, si tali vel tali modo excitetur et moveatur. Sed contra, quia hic modus, licet forte aliquando sufficiat, non potest in universum satisfacere, quia fieri potest ut Deus, per conditionatam scientiam, prævideat voluntatem hominis, quocumque modo hic et nunc excitetur, tam ex parte objecti quam per motiones prævenientes in ipsamet voluntate, de se nunquam esse consensuram, nisi ex parte ipsiusmet consensus determinetur. Cum enim contingens sit an voluntas in tali vel tali occasione ex se consensura sit sine alia prædeterminatione, contingere etiam poterit ut in nulla occasione sit consensura, et quod id prævideat Deus. Ergo tum vel admitenda est possibilis prædeterminatio physica, per absolutum decretum executivum Dei, vel concedendum est in aliquo casu Deum non posse absolute decernere ut fiat actio libera, quod videtur absurdum, et alienum ab illa omnipotentissima potestate, quam, teste Augustino, Deus habet ad corda hominum inclinanda.

4. Tertio, quod caput est, in hoc non apparet repugnantia, quia Deus per illam voluntatem absolutam non inducit aliquem actum primum prædeterminantem voluntatem, sed præbet tantum actualem motionem, quæ nihil aliud est quam ipsamet actio et operatio voluntatis; hæc autem motio non fit in voluntate sine actuali cooperatione ejusdem voluntatis; ergo necessitas quæ per talem motionem inducitur, non est necessitas antecedens, sed comitans, seu subsequens ex ipsamet cooperatione libera voluntatis; ergo non repugnat libertati, juxta principia supra posita. Alias nullus esset actus liber, quia quoties voluntas operatur, hæc determinatio et necessitas operatione ipsa inducitur; quia vero ipsamet vo-

luntas illi cooperatur, ideo optime stat cum illa necessitate libertas; ergo idem est in præsentia determinatione, quam Deus facere potest per actum secundum, quia non faciet illum sine cooperatione libera voluntatis; ergo ex parte libertatis non est repugnantia; ergo cum aliunde esse non possit, non est divinæ omnipotentia denegandum. Et confirmatur tandem, quia Deus est primus auctor naturæ, et inclinationum quæ naturam sequuntur; ergo sicut præbet inclinationes innatas, ita potest præbere elicatas; ergo voluntas humana subest divinæ, etiam quoad inclinationes elicatas per actus liberos. Et hæc ratio dicitur sumpta ex D. Thoma 1. 2, quæst. 9, art. 6, in corp., et ad 3, et quæst. 10, art. 4; et 1 part., q. 105, art. 4, et quæst. 111, art. 3 et 4.

5. *Secunda sententia præcedenti extreme contraria.* — Nihilominus est secunda sententia huic extreme contraria, simpliciter negans esse possibilem talem modum prædeterminationis, etiam liberum usum voluntatis humanæ impediendo. Ut enim hæc opinio intelligatur, adverto duplicem hic esse quæstionem: una est simplicior et abstractior, an Deus, solum concurrente cum voluntate auxilio simultaneo, et nullam mutationem distinctam ac propriam illi imprimendo, possit illam prædeterminare ad unum. Alia est magis composita et contracta, an possit Deus illo modo prædeterminare voluntatem ad actum liberum, servato modo libertatis ejus, vel tantum eam necessitando. Auctores ergo hujus secundæ opinionis etiam in priori quæstione repugnantiam credunt involvi in terminis, et ideo non posse Deum illo modo prædeterminare voluntatem ad unum actum et exercitium ejus, immediate imprimendo ipsum actum secundum, sine alia prævia motione determinante. Potestque hæc sententia suaderi, quia, si est prædeterminatio a Deo facta, est natura prior quam influxus voluntatis; si vero est per concursum simultaneum, illi repugnat vera prioritas naturæ, quæ in ordine causalitatis fundetur, ut sæpe ostensum est. Sicut ergo repugnat idem, respectu ejusdem, esse prius natura, et non esse prius, ita repugnat fieri prædeterminationem per auxilium simultaneum. Item motio Dei, ut sit vera prædeterminatio, debet esse a solo Deo; sed repugnat motionem quæ fit a Deo per concursum simultaneum, esse a solo Deo, quia illa eadem motio et actio dicitur essentialem habitudinem ad liberum arbitrium, ut sæpe ostensum est; ergo repugnat esse prædeterminationem per auxilium simul-

taneum solum. Consequentia cum minori notæ sunt. Major probatur, quia si motio non sit a solo Deo, erit simul a voluntate; ergo voluntas influat in illam motionem, non ut præexistens ordine naturæ determinata, quia prius natura quam influat, nihil a Deo sola accepit quo determinetur, ut supponitur; ergo per illummet influxum, quo ipsa voluntas influat in illam primam motionem, seipsam determinat concurrente Deo; ergo ex parte Dei non est vera prædeterminatio causalis, ut sic dicam, sed solum condeterminatio simultanea, quæ non solum possibilis, sed etiam necessaria est in omnibus actibus liberis, et æquivoce dicitur prædeterminatio ratione excellentiæ et independentiæ, non ratione prioritatis naturæ, in causalitate fundatæ, ut in capite præcedenti declaravi. Ergo, ut sit specialis prædeterminatio facta a solo Deo, oportet ut a solo Deo fiat in voluntate, prius natura quam ipsa quidquam faciat: ergo repugnat fieri per solum simultaneum concursum. Et ideo multi ex his qui hanc prædeterminationem dicunt fieri per ipsum actum immediate, distinguunt aliquam actionem formaliter distinctam, quam solus Deus facit, et natura priorem, quam sit actio voluntatis. Sed hæc sententia intelligi non potest nec explicari, ut patet ex discursu capitis superioris; et præterea habet eamdẽ repugnantiam cum libertate actus, vel majorem quam motio prædeterminans in actu primo, ut a fortiori probant omnia dicta cap. 14, quæ facile hic applicari possunt. Igitur in ipsomet actu voluntatis, nihil ex parte Dei invenitur nisi auxilium, seu concursus simultaneus imbibitus in actione ipsius voluntatis, quæ non fit sine inflexione, ut sic dicam, ejusdem voluntatis ad eamdẽ actionem, et ideo non videtur esse posse prædeterminatio vera ex parte Dei.

6. Neque videtur satisfacere responsio quæ ex dictis in capite præcedenti sumi potest, per distinctionem illius auxilii simultanei, vel secundum se spectati, vel ut procedit a decreto absoluto voluntatis Dei, efficaciter prævolentis ut voluntas humana hoc velit; et quod priori modo non prædeterminet, prout ratio facta probat, secundo autem modo possit prædeterminare, non ratione sui, sed voluntatis Dei, quæ præcedit. Hoc, inquam, non videtur satisfacere. Primo, quia licet fingatur ille concursus simultaneus procedere ab illo absoluto decreto divinæ voluntatis, de illo procedit ratio facta, quod in re non habet prioritatem respectu influxus voluntatis, nec fit sine ipsa se

determinante, et ad illam partem flectente, unde non potest habere causalitatem in ipsam voluntatem, quæ faciat ipsam facere, cum actio illa prius fiat ab ipsa voluntate quam possit illam determinare ut faciat. Deinde ille concursus simultaneus, consideratus ut fluens ab speciali decreto voluntatis Dei, nihil in se amplius habet, quam similis concursus procedens a generali decreto concurrenti, et involvente conditionem: Si voluntas velit; sed hic posterior concursus non prædeterminat, ut supra declaratum est, et dicti auctores nobiscum fatentur; ergo nec prior potest prædeterminare. Probatur consequentia, quia illa habitudo ad voluntatem Dei efficacem solum est quædam determinatio extrinseca in ipso concursu Dei: sed sola determinatio extrinseca non sufficit ad speciale effectum realem: ergo nec ad prædeterminationem voluntatis satis esse potest, quia hæc prædeterminatio aliquis effectus realis est.

7. *Sententia auctoris.*—His vero non obstantibus, quoad hanc partem contrarium sentio. Unde dico primo posse Deum, per absolutum decretum executivum suæ voluntatis, ita prævenire hominis voluntatem, ut illam prædeterminet ad volendum quod Deus vult eam velle, etiamsi nihil agat in ipsam voluntatem hominis præter actum ipsum consentiendi, ad quem ipsa etiam voluntas hominis concurrat. Hoc probant argumenta prioris sententiæ, magna ex parte, et idem confirmant quæ in primo prolegomeno adduxi, ad probandum posse Deum nostram voluntatem necessitare immediate per efficaciam suæ voluntatis, quæ necessitas non est sine aliqua prædeterminatione. Unde si ratio facta pro tertia parte probaret efficaciter non posse Deum hoc modo prædeterminare voluntatem, a fortiori probaret non posse illam necessitare, quod videtur multum derogare omnipotentia Dei. Quia revera nulla sufficiens ostenditur repugnantia, quia in eo casu dicendum est prædeterminationem principaliter procedere a decreto absoluto et efficaci voluntatis Dei, quod tunc præcedit ordine causalitatis, comparando duas voluntates, divinam et humanam, inter se, licet in ordine ad actionem vel effectum non prius natura influat divina voluntas quam humana.

8. Hæc enim duo non repugnant, quod facile patebit inchoando ab ultima replica proxima facta, pro secunda opinione, in qua falsum est quod sumitur, nimirum nihil plus esse in concursu seu influxu Dei simultaneo dato ex absoluto decreto prædefinitivo simpli-

citer talis effectus, vel dato ex decreto includente conditionem, quia licet in hoc conveniant, quod influxus ab utroque proveniens sit simultaneus cum influxu voluntatis, et in re ab illo non distinctus, nihilominus necesse est ut illi duo influxus in se sint distincti in modo suo et in efficacia sua, alias non posset magis unus prædeterminare quam alius, ut recte probat discursus factus, et in simili probatum est etiam in dicto prolegomeno 4. Nec est quod dicamus non posse Deum variis et pluribus modis concurrere cum voluntate auxilio simultaneo, ita ut unus sit attemperatus, ut ita dicam, indifferentiæ voluntatis, et quasi subjectus potestati ejus, alius sit præternaturalis voluntati ejusque potestati non subjectus, et prior sit a voluntate Dei, qua solum vult concurrere quasi sub conditione, si voluntas hominis sese accommodare voluerit, alius vero sit a voluntate absolute volentis ita agere, ut omnino voluntas humana subsequatur, ita ut resistere non possit.

9. *Solvitur fundamentum secundæ sententiæ.*—Et ita, quantum ad hanc partem attinet, facile solvitur fundamentum secundæ sententiæ. Ad primam ergo ejus partem, nego in omni prædeterminatione ad extra, necessarium esse ut sit prior natura quam actio voluntatis; satis enim esse potest quod procedat a prædeterminatione ad intra, præcedente ordine efficaciam et causalitatis respectu humanæ voluntatis, quam vult illo modo trahere ad operandum. Ad alteram vero partem, dico prædeterminationem in actu primo per se postulare ut a solo Deo fiat: non est autem hoc necessarium in hac prædeterminatione actus secundi, quia non dicitur prædeterminatio eo quod prius natura determinet voluntatem quam ipsa agat, sed quia illa actio, prout a Deo fluit in voluntate, talis est ut non subdatur indifferentiæ seu potestati voluntatis, et quia illum modum habet ex influxu causæ prioris, et potissimæ, et antecedentis in volendo efficaciter, ideo talis actio, ut est a Deo, dicitur prædeterminatio. Ad ultimam denique partem, jam responsum est non differre hunc influxum ab alio non prædeterminante, in sola denominatione extrinseca, sed per intrinsecam entitatem, seu modum suum, ratione cujus habet ut non subdatur potestati voluntatis.

10. *Non potest Deus per suam voluntatem efficacem prædeterminare voluntatem hominis, immediate influendo in illam ipsum actum, nisi necessitando illam.*—Probatur.—Ex his vero concludo, et dico secundo contra pri-

mam sententiam: non potest Deus per suam voluntatem efficacem prædeterminare voluntatem hominis, immediate influendo in illam ipsum actum, nisi necessitando illam, ideoque impossibilis est talis prædeterminatio secundum consensum voluntatis, servato simul modo libertatis in ipso. Probatur primo, quia Deus, per hujusmodi voluntatem suam efficacem, et influxum ab illa manantem, potest necessitare voluntatem humanam; sed inter illam necessitatem et hanc prædeterminationem, nullum medium constitui vel discrimen assignari potest; ergo, sicut talis necessitas non potest esse sine prædeterminatione, ita neque talis prædeterminatio sine necessitate. Consequentia evidens est. Major probata est in prolegomeno 4, et probatur optime testimoniis et rationibus primæ sententiæ. Unde si ad illam defendendam, auctor ejus negaverit posse Deum decreto suo necessitare voluntatem, enervat rationes suas, veriusque derogat ipse omnipotentia Dei quam id nobis objiciat. Quia in hoc quod actio Dei ita determinet voluntatem, ut libertatem operandi ei non relinquat, nulla involvitur repugnantia, ut ex terminis ipsis videtur per se notum; quod autem simul determinet, et relinquat liberam actionem, præ se fert statim repugnantiam, quam esse veram ostendimus, probando minorem rationis factæ, scilicet, inter talem prædeterminationem et necessitatem, nullum inveniri discrimen aut medium. Quia ex parte Dei idem decretum efficaciter antecedit, et ex parte influxus ad extra immissi voluntati humanæ etiam est convenientia, in hoc quod neuter subditur potestati voluntatis; ergo.

11. Responderi potest esse distinctum ratione decretum Dei in uno et in altero casu: nam in uno vult voluntatem velle libere, in altero vult velle cum necessitate. Sed contra, quia si utrumque decretum est absolutum et efficax, quoad hoc ut voluntas creata velit, et est decretum executivum ad extra quod vi sua facit quod vult, impossibilis est illa differentia. Probatur, quia si consideretur efficacia illa talis decreti, æquali necessitate ex illo sequitur hic effectus, qui est creatam voluntatem velle, quia utraque est necessitas in sensu composito, et ex tali suppositione antecedente, ut æque impossibile sit voluntati creatæ resistere utrique decreto; ergo non magis una necessitas quam altera repugnat libertati; ergo non magis per unum decretum vult Deus hominem operari quam per aliud; si ergo per

unum infert necessitatem contrariam libertati, etiam per aliud. Quocirca, ut sic Deus necessitet, non oportet ut modo nostro intelligendi vel loquendi ponatur necessitas ex parte objecti, ut cum dicitur velle ut voluntas hominis velit necessario, sed eo ipso quod ponitur Deus velle absolute ut homo velit, eadem necessitate sequitur volitio in homine, quia impossibile illi est tali voluntati Dei resistere. Quod si hæc necessitas directe volita a Deo contraria est libertati hominis, profecto, etiamsi non fingatur directe et quasi in actu signato volita, sed in actu exercito, æque repugnabit libertati, quia ejusdem rationis est, et in eadem efficacia antecedente fundatur. Unde e contrario involvitur repugnantia, cum fingitur decretum ejusdem efficaciam respectu actus volendi, conjungendo in eodem actu ex parte objecti modum libertatis, quia non potest efficacia actus esse contraria objecto suo; ergo cum talis et tanta sit efficacia actus, ut inducat necessitatem contrariam libertati, ut de alio actu similis efficaciam conceditur, impossibile est in objecto ejusdem actus ponere modum libertatis.

12. *Probatur secundo ex parte auxilii.*—Secundo, principaliter id probatur ex parte auxilii, quo mediante Deus exequitur tale decretum, quia non potest Deus efficaciter voluntatem nostram determinare, ex vi sui interni decreti, nisi aliquid in nobis ponendo quo talis determinatio fiat, quia illud decretum, vel omnipotentia Dei per illud applicata, est proximum principium efficiens talem determinationem; ergo aliquid debet ab illo principio prodire efficienter, et in homine intrinsece recipi, quo talis determinatio fiat. Sicut enim supra, prolegomeno 4, probavi voluntatem humanam non posse necessitari a divina per solam extrinsecam denominationem, seu quasi sympathiam, sed necessariam esse aliquam mutationem intrinsece factam in humana voluntate, per propriam et per se efficientiam voluntatis divinæ, ita in presenti dico determinationem hanc, quæ efficienter fieri dicitur per voluntatem Dei absolutam, aliquid esse debere per se factum a Deo, et intrinsece receptum in voluntate. Quia illa determinatio non est denominatio extrinseca, et est aliquid quod ante actionem Dei voluntas humana non habebat, sicut etiam de necessitate diximus. Deinde jam supponimus id quod Deus facit ad determinandam voluntatem, non esse aliquem actum primum, nec motionem præviam in re ipsa distinctam ab actu se-